Litteris, et moribus imbuerent, et duo tantum, et non plures.

Tandem praeter Kubnavium et Baiam, ubi sunt Catholici, Saxones boni, devoti, ferventes, et in Ecclesijs frequentes, de cetero totum Principatu in reliquis Parrochijs sunt Hungari, nomine Catholici, re autem et moribus perditi, et perversi.

Maior abusus, qui inter nostros observatur est, relictâ primâ uxore vivente, transire ad secundas nuptias, more Vallacorum, imò deficere à fide; Castigavi in meo adventu aliquos, aliquos iterum ad gremium Ecclesiae revocavi; Tandem apud Principem modernum querelas deposui, quod non propter fidem cum una sit vera, sed propter mulieres fidem relinquunt, dixit Princeps se imposterum non permissurum, Et si praetensas gratias et petitas à Ser.mo Rege et Principe obtinuerimus, multa inconvenientia ad ordinem redigam in regressu Deo cooperante. Amen.